



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

CIV. De viduis quae professae continentiam, praeuaricatae sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

sa, adolescentiores viduæ vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subiiciantur.

## CIII.

Ibid. Viduæ, quæ.

Viduæ, quæ stipendio ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debent, vt & meritis & orationibus suis ecclesiam adiuuent.

## CIV.

27. q. 1. Sicut.

Sicut bonum est castitatis præmium, ita & maiori obseruantia & præceptione custodiendum est. Vt si quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate a viro relictæ, se deuouerunt Domino, & veste laicali abiectæ, sub testimonio episcopi & ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea vero ad nuptias sæculares transierunt, secundum Apostolum, *damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino uouerunt, irritam facere \* ausæ sunt.* Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Christianis communi-cent. Nam si adulteræ coniuges reatu sunt viris suis obnoxia, quanto magis viduæ, quæ religiositatem mutauerunt, crimine adulterii notabuntur, si deuotionem, quam Deo sponte, non coactæ, obtulerunt, libidinosa corruperint voluptate, atque ad \* secundas nuptias transitum fecerint? Quæ & si violentia irruente, ab aliquo præceptæ fuerint, ac postea delectatione carnis atque libidinis, permanere in coniugio, raptori vel violento viro confenserint, damnationi superius comprehensæ tenebuntur obnoxia. De talibus ait Apostolus: *Cum luxuriatæ fuerint, nubere uolunt, habentes damnationem,*

1. Tim. 5.



ANNO  
 CHRISTI  
 398.

quia primam fidem irritam fecerunt. Aurelius episcopus Carthaginensis ecclesie subscripsi. Donatianus Talabricensis primae sedis, subscripsi. Augustinus Hipponae Regiensis, subscripsi. Similiter omnes episcopi subscripserunt.

Capitulum quod subiungitur, scriptum erat in quodam vetusto codice sancti Bauonis, cui praescriptus fuerat talis titulus: Statuta ecclesiae antiqua. in quo quidem codice etiam praescripta capitula Carthag. Concilii quarti habebantur.

Falsus accusator deprehensus, absque ecclesia fiat, donec poenitendo emendetur.

NOTÆ.

\* *Concilium Carthaginense.* ] Gildone tyranno, qui Africam turbabat, sublato, cunctisque iam pacatis, copioso episcoporum numero ad sacra comitia Carthagine celebranda, facultas concessa fuit. In his summa diligentia de ecclesiastica disciplina in integrum restituenda laborarunt. Primo ea quae episcopos, deinde quae inferioris ordinis clericos concernunt, consilio saluberrimo instituerunt, vel potius restituerunt: adeo ut hoc Concilium ecclesiasticae disciplinae ad pristinam consuetudinem reuocatae, quasi promptuarium semper meritoque apud posteros habitum fuerit. Centum & quatuor Canones edidit; horum pauci contra nouas Origenistarum haereses emergentes, nouiter constituti fuerunt: potissima pars disciplinam ecclesiasticam antiquitus traditam, receptam & obseruatam, Africanis motibus paulisper laxatam, in pristinam consuetudinem reuocat. In titulo Can. 17. distinct. 93. apud Anselmum additum fuisse reperitur, quod Zosimus papa huic per vicarios interfuerit. Verum acta Concilii Carthaginensis sexti huic sententiae omnino repugnant. Nam cap. 2. & 3. eiusdem Concilii constat, quod Zosimus papa Faustinum Potentinae ecclesiae episcopum, Philippum & Asellum legatos miserit. Cum itaque inter hanc & illam sextam, viginti circiter annorum interuallum sit, Zosimus vero in sede pontificia biennio non sederit, nequaquam id quod apud Anselmum in titulo praedicti Canonis superadditum est, sustineri potest. Haec ex Baronio anno 398. numero 67. Item ex notis praedicti Canonis.

Occasio  
 Concilii.

Acta Con-  
 cili.

Canones  
 quor editi  
 sunt in hoc  
 Concilio.

An Zosi-  
 mus papa  
 huic per  
 legatos in-  
 terfuerit.

<sup>b</sup> *Nomine & temporis ordine quartum.* ] Si, quod diximus in notis Concilii Carthaginensis II. id ipsum Theodosio XI. & Valentiniano

Hoc Con-  
 ciliium Car-